

**Elenchus prælectionum,
quas & publicè &
privatim Regiæ
Academiæ Aboënsis
pr...**

82 Aa 16/3



National Library
of Sweden

ELENCHUS

PRÆLECTIONUM, quas & publicè & privatim Regiæ Academiæ Aboënsis

PROFESSORES, futuris Lectionum Intervallis, Præviâ gratiâ Divinâ, erunt habituri: à die 8. Quintilis.

Anno 1688. ad idem tempus anni sequentis.

RECTORE

M. SIMONE T A L P O /

THEOLOGORUM.

I.

JACOBUS FLACHSENIUS, hætenus per sexennium in explicandis libb. Nov. Test. occupatus; jam, DEO sic providente, ad Mandatum Regium, Primariam capeffens Professionem, librorum Vet. Test. interpretationem occipiet: hocq; anno auxiliante DEO, GENESIN Mosaicam ex textu originali lectionibus publicis explicabit; Idque hora mat. octavâ in auditorio maximo. Privatim vero sacri ministerii Candidatos collegio concionatorio exercebit, diebus & horis extraordinariis.

II.

ANDREAS PETRÆUS, Auxilio Divino, naturam utriusque Fœderis cum hominibus Divini, atque sic utriusque Testamenti convenientiam & Differentiam exponet: postea Evangelium secundum Matthæum explicabit; observationes selectiores exhibebit, in illis omnibus usquequo licuerit, publice perendo: Collegia privata, datâ occasione intimabit.

III.

PETRUS LAURBECCHIUS, S. S. Theologiæ Professor Ordinarius, sicut hætenus Extraordinariis prælectionibus Systema geologiæ universum absolverat, denuoq; inchoaverat; ita anno futuro, favente Deo, seriem Locorum Communium Theologorum ab articulo de Deo & Sacro Sanctâ Trinitate, atq; etiam hæinceps persequetur, quousque per Divinam gratiam quiverit, præparando thesin, & nobiliorum Controversiarum antithesin; pomeridianâ, in Auditorio Maximo. Privatim prælectionibus Theologicis, Lectoriis & Disputatoriis, ad eundem seculi adolæ juventuti exhibebit horâ 6. matutinâ.

IV.

MATTHIAS SWEDERUS, Jur. Svec. & Rom. Prof. Ordin. quæ restant in libro tertio Instit. Justin. absolvet, & deinde librum quartum ac ultimum, ita ut collatio semper instituat cum jure patrio, hora prima pomerid. in auditorio majore interpretabitur. Quo facto, alias materias Juris proponet; privatim vero, cum præter jus nostrum Provinciale, etiam titulus primus Juris Municipalis hætenus sit explicatus, reliquos titulos hujus juris, quantum fieri possit fide & diligentia, ad finem perducet; insuperq; disputando, semel ad minimû, singulis hebdomadis suos auditores exercebit.

MEDICUS

ELIAS T A L P O / Med. Doct. & Prof. Ordinarius, absolutis paucis illis, quæ restant, in Medicinâ Pharmaceuticâ, Chymiam adgredietur explicandam, quæ huic parti adjuncta est, idque radius Divini Numinis foventibus, hora 2. da pom. in Audit. Acad. Max. Ad *εργασίαν* deindè particularium operationum, in Laboratorio, exercendarum descendet, eamque Auditoribus suis fidelitè monstrabit.

PHILOSOPHORUM.

I.

M. JOHANNES FLACHSENIUS, Mathem. sup. & inferiorum Prof. Ordinarius, hoc anno divinâ favente gratiâ, Arithmetica & Geometriam fundamentalem h. 2. pom. in Auditorio Mathem. publicè explicabit; horis vero extraordinariis, ad mandatum Serenissimæ Regiæ Majestatis, studiosam juventutem in Planimetria, Altimetria & Stereometria sedulo exercebit, nec non horis nocturnis, ad cognitionem astrorum rectumq; instrumentorum usum manuducet.

II.

M. DANIEL ACHRELIUS Prof. Eloquentiæ, futuro anno, Deo bene juvante, publicè Taciti annales: Privatim Vellejum Paterculum, & si tempora admittunt, Officia Ciceronis interpretabitur, ut intelligat juvenus, quam solliciti fuerunt pagani in inquirenda natura & dignitate honesti, quæ nunc in plerorumq; christianorum animis extincta est. Exercitia styli, tum discursus super nostri C. Taciti argumenta varia, habebunt qui desiderant.

III.

M. SIMON T A L P O / Metaphys. & Logices Professor Ord. quatenus muneris delegati ratio permittit, adfulgente ope Divinâ, in Prælectionibus publicis progredietur, faciendo initium à Doctrinâ Prædicamenti Relationis, ubi superiori Prælect. publicarum intervallo pedem fixit; & porrò perseverando ad Logicæ Essentialia. Metaphysicam vero privatim ad votum D. D. Auditorum & legendo & Disputando enudabit. Docebit a. publ. hora 8. Mat. in Audit. minori.

IV.

M. ANDREAS WANOCCHIUS, Phil. pract. & Hist. Prof. Ord. postquam duobus Lectionum intervallis Historiam iv. Monarchiarum, cum vitis Imperatorum, qua cujusvis *nativitatem, nomen, institutionem, mores, acta tam tranquilla quam polemica, monita politica, synchrologiam, mores, per abelismos, & synchronismos tam Ecclesiasticos quam civiles,* per Divinam gratiam, publice absolverit, privatim vero potissimam partem Regularum Philosoph. B. Stahlii, nec non Politicam exposuerit; poscente hæc Lectionum Practicarum & Historicarum vicissitudine, recepit se, DEO similiter per JESUM propitio, propositurum. Philosophiam Practicam per annum futurum, in Auditorio inter hora ix. ad x. Exercitia privata quæ sint futura, significabit alias.

V.

M. PETRUS HAHN, Physices Professor Ord. absolutis iis, quæ in Anthropologia residua sunt, futuris Lectionum publicarum periodis, Deo duce, Scientiam Naturalem, receptâ methodo de novo auspiciari constituit: idq; hora decima in Aud. Majori; privatim etiam studiosam juventutem legendo & disputando exercebit.

VI.

M. SIMON PAULINUS, LL. Hebr. & Græc. Professor Ordin. Auxilio DEI Opt. Max. fretus, receptam Analysin Hebræo-Philologicam Psalmorum Davidis LII. di & seqq. Græco-Philologicam vero, Epistolarum D. Pauli ad Timotheum & seqq. nomine publico, horâ, p. m. primâ, ordine continuabit: Curis autem privatis, quantum ratio temporis viriumq; & Discentium animus, admiserint, Hebraismi, Chaldaismi & Syriasmis fundamenta, Biblia parva Opitii, & Plutarchum *περί παιδων ἀγωγῆς*, studiosæ juventuti inculcabit.

VII.

M. DAVID T A L P O / Poës. Prof. Ord. demandati sibi muneris novi partesita auspiciari constituit, ut favente altissimo, operâ publica aliquid ex perfectissimo Virgiliti Aeneidos opere; privatim vero latinissimum ac elegantissimum Autorem Plautum illustrare, & simul diversa latini sermonis genera, per notas Philologicas inculcare possit: præter quæ etiam copiam exercendi Stylum in oratione ligatâ & soluta, iis qui illud studium avent, concedet. Docebit hora 10. matutina.

VIII.

M. MAGNUS STEEN/ Philosophiæ Professor Extraordinarius designatus, quid publicè privatimvè sit propositurus, in posterum, publicâ intimatione indicabit.

